

Occasionalia VI-183
potissimum Carmina
vol. 25
P-V

VI-183-

AD
VIRVM
NOBILISSIMVM ATQVE CLARISSIMVM
DOMINVM
CHRISTIANUM
PFUETZNERUM

ESTO-LIVONEM
PHILOSOPHIAE MAGISTRVM
ET
SACRI MINISTERII LVBECENSIS CANDIDATVM

DIGNISSIMVM
AMICVM SVVM OPTIMVM

EPISTOLA GRATVLATORIA

EIDEM

SVPREMAM DIGNITATEM

IN

STVDIO SAPIENTIAE

IN

CELEBRI SAXONVM AD ALBIM ACADEMIA

A. O. R. MDCCCXV. PRID. OCT.

CONSECVTO

CONECIA TRANSMISSA

A

I. G. GOEDTKE

PHIL. ET IVR. CVLTOR.

VIR NOBILISSIME, CLARISSIME ET DOCTISSIME,
FAVOR AC AMICE MVLTVM OBSERVANDE,



On certe uno nomine praedico aliam Vittembergam, communem illam ac propriam fere Musarum omnium sedem, totius Germaniae plurimarumque regionum eruditorum domicilium. Aseruatur inclyto hoc loco genuina de rebus diuiniotibus doctrina, ei peculiariter tradita: literae omnes, praecipue quae elegantiores dicuntur, nitorem suum inde deriuant: docti denique omnes in rebus arduis ad eam, aequae ad sacram anchoram confugiunt. Laetor, quoties huius recordor, recordor autem saepissime, uni huic Saxoniae oppido Supremum Numen cumulatiflime ea omnia concessisse, quae sparsim in quamplurimis aliis frustra quaeruntur. Maximi tamen, uel ideo, quoque facio ocellum illum Saxoniae, quod in eo deprehendisse mihi licuerit prae aliis locis, fautores studiorum meorum atque amicos, ut benignissimos, ita et omni fide mihi addictos, quorum uel opera uel consilium in aduersis semper praesto fuit. Principem Tu locum uero, *Vir Clarissime*, omni iure tenes inter omnes: usus sum etiam exoptatissima Tua consuetudine, quae semper mihi fuit multo iucundissima: recreant me, imo effecerunt doctiorem colloquia Tua humanissima eruditissimaque, monitis Tuis perquam prudentibus iuuisti me, quoties Te in consilium rerum mearum adhibui: amoris Tui uestigia ubicunque perspexi, summam animi Tui integritatem, fauorem omni parte absolutissimum, optimumque bene merendi iudicium adeo multis atque illustribus argumentis confirmasti, ut Te non amicum modo, sed et mihi amicissimum, existimauerim, quam primam in-notitiam Tui perueni. Doleo autem uehementer, bonum hoc ad fruendum saltem, non possidendum, fuisse mihi concessum: elapso enim semestri spatio Tibi Musisque Leucoreis eripiebar, iam uero longe a Te absum, atque sic careo insigni illo fructu conversationis Tuae dulcissimae utilitissimaeque, Laetor interim, quod rebus Tibi a me optatis hactenus tam accurate exacteque fortuna respondit, dum gloria eruditionis Tuae non proletariae, quae orbi literato inclaruisti eandemque dignitatem es consecutus, quam doctrina Tua postulauit. Scientiam omnis generis praeclarissimam, multo labore studioque uariis in locis, Pernauiac in primis, Kilonii atque VVittembergae paratam, exposuisti, disserens publice de *Αποναλύψως, Inscrptione*. Promeritis inde es approbationem Illustris Procerum Wittembergensium Ordinis, ornauit Te omnibus elogiis inclytus reliquorum Doctorum Consensus, applausit Tibi uniuersa Citium Academicorum nobilis Concio, contulerunt exteri quoque sua encomia, nec ullus, qui demum cunque dissertationem Tuam, singularis eruditionis Tuae testem omni exceptioni maiorem, conspexit, eorum intermisit quicquam, quae ad laudes Tibi debitas pertinere uiderentur. Fecit in primis illud specimen a Te datum, ut non multo ab hoc tempore solenni ritu ab Amplissimo Collegio Sapientum summa honoris accessione in Studio Sapientiae cumulatus, eiusque *Doctor* creatus, et sic praemium laboris Tui adeptus sis. Concedas autem, *Nobilissime Vir*, priusquam omnia includam uotis, ut ad doctissimum *σχεδιάσμα* Tuum, cuius

cuius modo mentionem feci, regrediar. Non possum enim non confiteri, cumulari me maximo gaudio; quando eius habeo memoriam, habeo autem illam perpetuo; nec sufficere mihi, per literas iam collocatum esse Tecum de uariis membris in eo pertractatis, ut: de *αὐθνήλα* Inscriptionis Apocalypticae, causa denominandi Ioannem *Θεολόγον*, ipsa uoce *Θεολόγος* eiusque ab *ἐπόπαις* deriuatione, et aliis pluribus; sed de alio quoque eius argumento conferre Tecum, uoluptati mihi futurum, statuum. Spectat id ad *αὐτόγραφον* Euangelii S. Marci, de quo §. VIII, pag. 7, dissertationis Tuae uaria pererudite affers, et id reuera non extare, autoritatibus ipsorummet Scriptorum Pontificiorum, Caesaris Baronii, Richardi Simonii, et Ioannis Mabillonii, inductus, cum plerisque aliis, qui ultra uulgus hominum sapiunt, doces. Esse hanc rem alicuius ponderis, nec minoris utilitatis, quam curiositatis, lubens fateor. Quodsi enim ipsa Sacrorum Scriptorum *αὐτόγραφα* uere superessent, ex ipsis fontibus haurire diuina oracula, tantis pessimorum hominum corruptelis facili negotio obuiam ire, uariantibus istis lectionibus, quarum numerus hodie in infinitum excreuit, supercedere possemus, nec Sacri libri Codices MStos membranaceos et chartaceos magna opera undecunque conquirere, necessum esset. At cum de hoc omnes uiri docti locorum omnium dubitent, mirantur cordatiores figmentum traditionemque illam, de Euangelii S. Marci *αὐτόγραφο*, quod superesse adhuc in his terris, asseruarique Venetis, Romanae Curiae Clerus contendit. Tempus equidem, quo hocce *κειμήλιον* allatum isthuc sit, me arbitro, ab ipsis existentiae eius asseritoribus ignoratur: quod enim adducunt Saeculum IX, quo, ipsum quoque corpus D. Marci ex Alexandriae oppido uenetas apportatum per mercatores, creditur, minus conuenire, existimo, cum opinione aliorum, qui Euangelium illud Aquileiae, ubi, Marci Cathedrali fuisse, aiunt, custoditum antea, indeque Venetis importatum, uolunt. Mitto haec, tanquam maxime dubia et incerta, inquiri potius in ueritatem ipsius rei, et an uere existat Codex ille MStus S. Marci Euangelii Venetius? dispicio. Integrum eum asseruari ibi, statuunt alii, alii, lacertum et aliquod foliis spoliatum, docent. Prius affirmant, quotquot impudenti et irrationabili prorsus pruritu pro omni traditione pugnant. Non referrem huc Virum ceteroqui doctissimum, omnisque rei antiquariae insigniter peritum, Anselmum Bandurum, nisi mouerent me, quae in opere suo de Imperio Orientali reperiuntur: haberi uidelicet in bibliotheca Veneta *αὐτογραφο* Euangelii S. Marci initium et finem, adeoque integrum opus. Quibus quanta fides habenda sit, apparet uel inde potissimum, quod nonnulli Scriptorum Pontificiorum de *αὐτογραφο* isto prorsus dubitent, ut uirorum celebrium illa *relig* initio huius materiae laudata; nonnulli uero imperfectum illud, nec omni parte sua absolutum, statuunt. Faciunt in hanc rem, quae de Romanorum Augusto Imperatore Carolo IV. habentur, a Venetorum Patriarcha nempe impetrasse eum aliquot folia ex Codice hoc authentico, Pragae totius Bohemiae ciuitatem primariam inde translata, quae hodie adhuc in templi eius Cathedralis bibliotheca asseruari summa cautione et diligentia, certo quodam die festo publice exponi, et non nisi Romano-Catholicis ad uidendum contemplandumque exhiberi, narrant omnes, quotquot ea loca uisitant. Testatur quidem Mabillon in itinere suo

italico,

Italice, MStum hoc Venetiis aliquot sigillis munitum saltem peregrinantibus ostendi, neque aperiri illud, ut fama de *averria* eius illaesa et integra maneat: contrarius tamen est huic Montfaucon in suo itinere Italico, qui apertum illud uidisse se, et esse literis Latinis non in membrana, sed in subtili admodum et tenui charta scriptum, expresse fatetur: utriusque uero testimonium suspectum reddit hoc *αὐτογράφον*. Quidnam igitur *Vir Doctissime*, in tanta iudiciorum relationumque diuersitate, ac dissensu ipsorum testium domesticorum de *αὐτογράφῳ* hoc Euangelii S. Marci statuendum sit, TV ipsemet optime nosti, esse scilicet omnia fere quae de eo tradita reperiantur, aut prorsus falsa, aut ficta, aut uelo obscuritatis penitus uelata, et, si quae de eo speciem ueritatis habent, fabulis, figmentis, traditionibusque incertis admodum deprauata. Agerem occasione horum, quae memorata sunt, de aliis fictitiis suppositisque scriptis, tam iis, quae ipsi primo omnium homini falso obtrusa sunt, de quibus ex instituto Hilscherus peculiari schediasmate de bibliotheca Adami egit, quam illis, quae tribuuntur primis Coetus Christiani Doctoribus, quae iusto ordine exhibent, Cocus, Riuetus, Grabius, Caue, et qui sunt alii. Memor autem eorum, quae epistolae rubrum primaeque lineae eius prae se ferunt, me scilicet, gratulationem scribere, non dissertationem, consulto ab iis omnibus abstineo, Tuoque iudicio permitto. Gratulor itaque Tibi, *Praeclarissime Vir*, Dignitatem nuper digissime consecutam, de eaque maximopere laetor. Sera quidem haec gratulatio est, et uerbis simplicibus tantum concepta, nulla tamen negligentia eam, credas, tam diu praetermissam: distantia quippe locorum fecit, quo minus fama de honore adepto citius ad me perueniret, cum omnia tardius in haec loca perferantur, ipsasque literas Tuas, quas ualde elegantes deprehendi, demum die XVI. Cal. Ian. nuncius mihi obtulit. Interim uoluptatem capio, cum, Tibi ea tribui, uideo, quae Tuae uirtuti eruditionique optima ratione debentur. Viam honoris annuente Diuino Numine feliciter es ingressus, clementia eius exitum expedit. In literas elegantiores animum masculae intendisti multumque prae aliis profecisti in illis: uis ingenii Tui est prorsus diuina, multo cumulatissimae eius dotes sunt, et qua asiduitate cum bonis literis fueris, ante alios demonstrasti, ut mirum non sit, honorifico loco Te inter posuisse Venerandos Academiae Patres. Honores autem cum ingenia liberaliora non foueant modo, sed excitent quoque, facile auguror, summum nomen in Sapientia, quod consecutus es, forte Tibi stimulum progrediendi ad magis sublimia, et ascendendi ad omnium supremum gradum honoris. Idcirco precor, *Amice Aestimatifissime*, ut noua haec dignitas ad augendum nominis Tui honorem, omnes Tui conatus ad gentis nationisque Tuae gloriam referantur, indeque ad amplificandam eam proficiantur quam plurima ornamenta. Cumulet *Academia VVitembergensis* inelyta laudem Tuam uirtute et doctrina partam nouis insuper accessionibus honorum. Habeas Patronos studiorum Tuorum usquequaque, Lubecae in primis, benignissimos: consequaris diligentiae Tuae felicissimos successus: uideas famae Tuae continua incrementa: desit Tibi nulla unquam felicitas, uerbo: sit Tibi Deus propitius. Plura non addo, offero Tibi animum Tuorum commodorum capidum, et, ut beneuolentiam amicamque Tuam serues mihi in posterum, peto. Vale. Scribebam festinante calamo, Coneciae Prussorum. Anno MDCCXV. die XIII. Cal. Ian.

Ang. II 183

KD 18
KD 17

NOBILISSIMVM ATQVE CLARISSIMVM
MAIOR AC ANICE MVLTVM QVORVNDAM

AD
VIRVM
NOBILISSIMVM ATQVE CLARISSIMVM
DOMINVM
CHRISTIANVM
STZNERVM

ESTO-LIVONEM
PHIAE MAGISTRVM

ET
II LVBECENSIS CANDIDATVM
DIGNISSIMVM
CVM SVVM OPTIMVM
STOLA GRATVLATORIA
EIDEM
REMAM DIGNITATEM
IN

D SAPIENTIAE

IN
CONVM AD ALBIM ACADEMIA
CIO 1000 XV. PRID. OCT.

CONSECVTO
CONECIA TRANSMISSA
A

G. GOEDTKE
PHIL. ET IVR. CVLTOR.

